non addemus, faciemus interea quod muneris nostri est, evolvemus tricas illas, & declarabimus, *imaginariam istam esse oeconomiam novam & singularem, quam DEVS per praecones poenitentiae extraordinarios & mente Novatorum sit erecturus*, sive jam Inspirati sive alii etiam contradicentes eam statuant: DEVS noster, qui omnia solus potest, clementia sua nostrum laborem suffulciat, ut in veritatis praesidium ac triumphum, falsitatis vero propudium, & dedecus tendat ac terminetur!

## POSITIO I.

*Tria praecipue momenta in quaestione proposita occurrunt:*

*I. Arrogans de oeconomia Dei praesenti proxime prorsus abolenda praenunciatio.*

*II. Extraordinariae vocationis ad novam oeconomiam inchoandam vana praesumtio.*

*III. Ministerii & universae oeconomiae praesentis blasphema criminatio.*

*De singulis seorsim agendum.*

Ενθεσ.

I.

NOn errabunt, qui in Fanaticismo omne illud quaerunt, quod a veritate coelesti quoquo modo abludit. Nam praeter Haeresium multarum veterum ac novarum PARALLELISMVM tanquam mater foecunda infausto satis partu hactenus edidit INDIFFERENTISMVM periculosissimum, REFORMATISMVM perversissimum, SEPARATISMVM funestissimum, PHARISAEISMVM damnatissimum, SCEPTICISMVM infelicissimum, apud multos etiam DEISMVM & ATHE-